



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

§. 440. De comitis Amalungi traditione bonorum in villa Durpethe in pago Patherga.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114

Ab anno
1010 vs-
que 1014
regnante
Heinric-
co II.

§. 438.

Tradidit bernhardus pro filio suo uolcmaro XXX. iugera et mancipium in *ameleueffen* (y).

§. 439.

Tradidit folcmarus pro filio suo hauuardo I mancipium et XXX iugera in *bernwardeshuf* (z).

§. 440.

Tradidit ama pro filio suo alfrico
XXX iugera (a).

§. 441.

Tradidit ludgerus pro filio suo egiloldo I familiam (b) in *siculithi*.

§. 442.

De villa
Amele-
ueffen
in pago
Suilber-
gi.

(y) *Ameleueffen* villa tribuitur ab abbate Sarachone pago *Suilbergi*. Intelligitur designari vicus *Amelfen*, olim in comitatu Dasselienfi, hodie autem in episcopatu Hildesheimensi in praefectura Hundesruck, situs. Ex hoc situ loci conclusimus supra §. 104. not. (1) *Bernhardum* ad Northheimensem familiam esse referendum.

De villa
Bernwar-
deshus
in pago
Morun-
go.

(z) Villam *Bernwardeshus* collocat Saracho abbas in Registro B. et P. A. C. in pago *Marungo*. Quem in principatu Gottingensi extitisse, iam supra §. 418. docuimus. Putamus itaque, significari vicum *Bernwardeshusen* in praefectura Moringen, ad eundem principatum spectante. *Folcmarus* videtur fuisse filius *Bernhardi II*, de quo egimus supra §. 104. not. (1).

De villa
Durpe-
the in
pago
Pather-
go.

(a) Quaedam in hoc loco distincte legi non potuerunt. Pro *Ama* videtur legendum *Amalungus comes*. Villa, in qua idem XXX. iugera tradidit, per vetustatem detrita est. Haec autem suppleri potest e Registro Sarachonis, in quo villam *Bernwardeshus*, de qua §. 439 actum est, sequitur villa *Durpebe*, quam in pago *Patherga* extitisse, abbas memoratus l. c. refert. Haec vero villa nunc vocatur *Turpe*, sita in episcopatus Paderbornensis tractu non procul a flumine *Alma*. Cum vero eiusdem nominis duae sint villae, quarum altera appellatur *overen-Turpe*, atque altera *niederer-Turpe*, alterutra procul dubio designata intelligitur. Dolemus, quod nomen traditoris distincte legi non possit. Alioqui perhibere e re esset, *Amalungum*, hic memoratum, fuisse *Amalungum*, qui in Vita Meinwerici p. 559 comes in *Patherga* pago, et p. 561. summus ecclesiae Paderbornensis *advocatus* appellatur. Hic si filium habuit *Alfricum*, vti ex traditione nostra videtur constare, probabilissime ad stemma Widikindeum est referendus, comitis *Bardonis I*. pronepos, atque archiepiscopi *Bardonis*, *Widikindi* comitis, et *Herdagi* frater. Quemadmodum enim ipse *Bardo* eiusque posterii, comites de *Waldeck* et *Sualenberg*, in eodem pago *Patherga* bona hereditaria satis multa possederunt, vti supra §. 104. not. (u) vidimus: ita ex donis traditis probabilissimum videtur, eundem *Amalungum* ad posteros *Bardonis I*. spectasse, et filio suo *Alfrico* nomen indidisse, a propatruo suo petitum.

De villa
Siculithi
in pago
Derlin-
go.

(b) *Siculithi* villam fuisse in pago *Derlingo*, docet nos abbas Saracho in Registro B. et P. A. C. Pagum *Derlingo* olim extitisse in ducatu Brunsvicensi in praefectura *Wolfenbittel*, *Campen*, *Königsutter*, *Dalen*, *Schöningen*, *Hessen*, et confiniis, iam supra vidimus. Cum ergo inter oppidum *Königsutter* et castrum *Supplinburg* adhuc supersit curtis quadam dicta *der Sickelsche-hof*, probabilissime existimatur ibi villa *Siculithi* olim fuisse obuia. Quia autem haec villa vix duo millia passuum a castro *Supplinburg* abest, optimo iure sustentari putamus, *Ludgerum* progenitoribus caesaris *Lotharii*, qui comes fuit *Supplinburgicus*, in-